CALENDARIUM HEBRÆORUM

AD SCRIPTURARUM INTELLIGENTIAM.

MONITUM.

Apud Judæos erat annus et civilis et ecclesiasticus. Civilis, seu antiquus, ordiebatur a mense Tizri (*Septembri*), quod eo fere existimarent mundum creatum, aut certe recreatum et restitutum e diluvio, ac eam esse Noë traditionem. Ecclesiasticus vero exordium habebat a Nisan (*Martio*), ut imperatum ipsis fuerat a Moyse, *Exod.* 12-2, in memoriam exitus eorum ex Ægypto. Notandum est annum Judaïcum fuisse 355 aut 356 dierum ; quod lunaribus uterentur mensibus, qui in duos nostrates cadunt; ideoque cum dicitur, *v. g.* Nisan respondere Martio, intelligere est Martii lunæ, cujus initium in Martio, finis autem in Aprili, et sic de cæteris.

NISAN. — MARTIUS. HABEBAT DIES 30.	JIAR. — APRILIS. HABEBAT DIES 29.	SIVAN. — MAIUS. HABEBAT DIES 30.	THAMMUZ. — JUNIUS. HABEBAT DIES 29.	AB. — JULIUS. HABEBAT DIES 30	ELUL. — AUGUSTUS. HABEBAT DIES 30.
1. Neomenia. Initium anni ecclesiastici. Jejunium, quod eo die mortui sint Nadab et Abiu filii Aaron. 10. Jejunium, ob mortem Mariæ sororis Moysis et Aaron, et ob seditionem Israëlitarum, qui non habebant aquas in deserto Cades. 14. *Pascha*, in memoriam liberationis Ægyptiacæ. 21. *Septima Paschæ.* 22. *Octava Paschæ.* 26. Jejunium ob mortem Josuë. Dedicatio tabernaculi Moysis. Æquinoctium vernum. Petitio pluviæ quam Malkos appellant, tardam, serotinam, vernam, messi mox futuræ commodissimam.	1. Neomenia. 6. Jejunium, ad expianda delicta in diebus Paschæ. 8. Continuatur idem jejunium. 10. Jejunium, quod eo die obierit Heli sacerdos, capta fœderis arca. 14. Pascha pro iis qui non potuerant adesse in mense Nisan. 17. Dedicatio murorum Jerusalem ab Asmonæis reædificatæ. 27. Solemnitas ob Gaza captam a Simone Machabæo. 28. Solemnitas a Machabæis instituta, ob expulsionem coronatorum idololatrarum ex Juda. 29. Jejunium, quod eo die obdormierit Samuël, illumque planxerit domus Israël.	1. Neomenia. 6. Pentecoste, sive festum hebdomadarum septem post Pascha, ob memoriam datæ legis. 13 *Octavæ* magna celebritas. 15. Solemnitas victoriæ quam reportaverunt Machabæi in Bethsan. 17. Festivitas ob captam Cæsaream ab Asmonæis, qui expulsis incolis idololatris, constituerunt ibi Judæos. 23. Jejunium, quod decem tribus tunc desierint primitias portare Jerosolymam. 25. Jejunium ob interfectum Simeonem Gamalielis filium, Ismaëlem Elisæi filium, et Haninam saggan, sive sacerdotem secundum. 27. Jejunium ob combustum Haninam Tardionis filium, simul cum libro legis.	1. Neomenia. 14. Solemnitas in memoriam proscriptionis libri cujusdam in quo Sadducæi supprimere volebant traditiones Judæorum. 17. Jejunium *quarti*, ob tabulas legis fractas. Item, quia eo die sacrificium juge desiit, et Epistemon legem combussit, idolo in templo collocato. Solstitium æstivum. Tantus est æstus ut non pluat in Judæa, vel rarissime, toto hoc et sequenti mense, imo vero tota æstate, ut testantur Josephus et sanctus Hieronymus.	1. Neomenia. Jejunium, quod eo die Aaron magnus sacerdos e vita excesserit. 9. Jejunium *quinti*, ob incensam eo die Jerusalem, et templum primo a Chaldæis, secundo a Romanis. Item, quod capta ab iisdem Romanis sit Bethera, et urbs excisa. Denique quod Moysis principatu decretum a Deo manaverit, viventes Hebræos non ingressuros terram promissam, ob murmurationes populi. 18. Jejunium quod extincta sit lucerna Occidentalis, quæ erat Vespertina, in diebus Achaz. 22. *Xylophoria*, solemnitas instituta ad oblationem lignorum a Nathinæis cæsorum in ministerio ignis sacrificiorum.	1. Neomenia. 7. Solemnitas ob dedicationem murorum Jerusalem, in diebus Nehemiæ. 17. Jejunium, quoniam exploratores, qui terram promissam diffamaverant, tunc mortui sunt in conspectu tabernaculi. 22. Xylophoria, propitiationes.

TIZRI. — SEPTEMBER. HABEBAT DIES 29.	MARCHESUAN. — OCTOBER. HABEBAT DIES 30.	CASLEU. — NOVEMBER. HABEBAT DIES 29.	THEBET. — DECEMBER. HABEBAT DIES 30.	SHEVETT. — JANUARIUS. HABEBAT DIES 30.	ADAR. — FEBRUARIUS. HABEBAT DIES 29, ET IN ANN. BISS. 30.
Totus hic mensis fere festus ob collectos fructus. 1. *Ros hassana*, principium anni civilis, festum Tubarum, sive Clangoris. 2. Pœnitentia. 4. Jejunium *septimi* ob interfectum Godoliam. 5. Jejunium, quod eo die mortui sint viginti homines de Israël, et Akiba filius Joseph vinctus in carcere. 7. Jejunium ob decretum in eos qui vitulum aureum fabricaverant. 10. Jejunium expiationis. 15. Tabernaculorum festum, sive Scenopegia, cum octava. 21. Hosanna Rabba, seu septima Tabernaculorum. 22. Octava Tabernaculorum Aatsereth. 23. Festivitas legis, seu gaudium ob legem acceptam, quo die recolunt testamentum et mortem Moysis. — Eodem die dedicatio templi Salomonis.	1. Neomenia. 6. Jejunium incipit ob excæcatum Sedeciam regem Juda, et filios ejus coram ipso jugulatos a Nabuchodonosor. 19. Jejunium per dies tres ad expianda delicta in festo Tabernaculorum commissa. 23. Solemnitas in memoriam zeli quo mundaverunt Judæi sancta, et tulerunt lapides contaminationis in locum immundum. 25. Solemnitas ob expulsionem Chutæorum. Sectiones de vita Saræ et nativitate Isaac.	1. Neomenia. 2. Rogationes, seu orationes publicæ ad obtinendam pluviam. 3. Solemnitas pro zelo Asmonæorum, qui extra atrium templi projecerunt idola gentium. 6. Dies festus ob mortem Herodis Magni. 7. Jejunium ob combustum a rege Joachim volumen quod scripserat Baruch, dictante Jeremia. 25. Dies dedicationis sive Encænia. Luminaria, vel Luminarium festum, diebus octo, ob lumen religionis a Macedonibus extinctæ recuperatum. Petitio pluviæ, quæ *Jore* Hebraïce appellatur, prima, et temporanea, item pluvia sementis. Tempus serendi in Judæa.	1. Neomenia. 8. Jejunium, quod illo die Lex in Græcum versa sit, tempore Ptolemæi regis, et tenebræ occuparint mundum triduo. (Hinc Judæos Alexandriæ LXX. Interpretum memoriam coluisse anniversario festo, Philo tradit, lib. 1 de Vita Moysis.) 9. Jejunium, cujus causa non indicatur, at fortasse propter tenebras trium dierum. 10. Jejunium *decimi*, quando admovit manum suam rex Babylonis, ad obsidendam et expugnandam Jerusalem. 28. Festivitas ob expulsionem Sadducæorum. Solstitium hybernum.	1. Neomenia. Principium anni arborum, quæ per annos quatuor a plantatione immundæ reputabantur. 2. Gaudium ob mortem Alexandri Jannæi Pharisæorum hostis. 8. Jejunium, quoniam mortui sunt seniores, Josuë coævi. 22. Gaudium ob mortem improvisam cujusdam Niskaleni qui jusserat in templo collocari figuras a lege vetitas. 23. Jejunium, quia congregati sunt omnes Israëlitæ adversus tribum Benjamin, et propter concubinam in Gabaa, et simulacrum Michæ. 29. Festivitas ob mortem Antiochi Epiphanis, regis Syriæ, Judæorum hostis.	1. Neomenia. 7. Jejunium ob mortem Moysis. 8. Sonus tubarum pro pluvia obtenta vel obtinenda. 9. Jejunium ob contentiones domorum Sammaï et Hillel. 13. Jejunium Esther. 14. Sortium festum minus. 15. Sortium festum majus. 23. Dedicatio templi Zorobabelis tempore.

Sic præter festa, singulis annis dies viginti sex habebant Hebræi, ex lege jejuniis dicatos, quibus addiderunt doctores singulis hebdomadis jejunia *secundi* diei et *quinti*, id est, Lunæ et Jovis, tribus de causis : propter excidium templi : propter combustam Legem : denique quod Rabsaces nomen Dei blasphemaverat. Aliqui etiam quadraginta diebus sibi temperant a vino et carnibus, quod pari numero dierum Moyses et Elias jejunaverint.